


32 36 31
S. D. N.
D^{EX} GREGORII
Diuina prouidentia Papæ XV.
CONSTITVTIO
DE ELECTIONE
ROMANI PONTIFICIS



ROMAE
Ex Typographia Cameræ Apostolicae

M. D C X X I.

100



GREGORIUS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



ETERNI Patris Filius , Magister , & Legislator noster Christus Dominus , cuius omnis actio , nostra est instruacio , licet portaret omnia verbo virtutis sua , nec esset quicquam absconditus ab oculis eius , tamen priusquam ad Apostolatus munus duodecim Apóstolos eligeret , & nominaret , quod alias vñquam fecisse in scripturis non legimus , pernoctare voluit in oratione Dei : & antequam B. Petro ouium suarum curam committeret , tertium repetita interrogatione , trinam extare eterni amoris eius professionem : Nos scilicet erudiens quanta diligentia , cautione , & cura in omnium Pastorum eleccione admiti debeamus , vt boni eligantur , & fideles ; præfertim vero in Beati Petri Successoris , qui Orbis est lumen , Doctor gentium , & Pastor Pastorum . Quapropter satis etiam admonemur nihil eorum ; quæ ad electionis Romani Pontificis negocium cautius & melius transfigendum conducunt ; omitti debere : salus enim non vnius membra , sed totius corporis agitur ; cum de capite consulitur . Igitur & si diuersis fel. rec. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum , & Sanctorum Patrum decretis salubriter prouisum est , vt eius electio ritè , & rectè peragatur , & in ea non caro & sanguis , aut humana sapientia , quæ stultitia est apud Deum dominetur , sed Spiritus Sancti gratia omnia dirigantrur , & gubernentur : nihilominus , vt dies diei eruçtar verbum , & nox nocti indicat scientiam , experientia compertum est salubriori remedio locum non deesse . Nos igitur quos

A ij posuit

posuit Dominus , licet nullis suffragantibus meritis , regere Ecclesiam suam , ne in extenso die prætermissi officij in re tanti momenti à nobis ratio à districto Iudice exigatur , quod multorum etiam votis , & postulationibus multum expeditum est , Sancti Spiritus adspicente gratia , faciendum decreuimus . Matura itaque cum Venerabilibus Fratribus nostris Sancte Romana Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione habita , de eorumdem Fratrum consilio pariter , & assensu , hac nostra perpetuo valitura Constitutione , statuimus , decernimus , & declaramus in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse , quam in Conclavi , & eo clauso , ac post celebratum in eo prima die Sacrosanctum Missæ solitum Sacrificium , cui Cardinales interesse , & in eo communicare confuerunt , ac per secreta Schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium , in Conclavi præsentium , præterquam si omnes , & singuli Cardinales similiter in Conclavi præsentes , nemine dissentiente , aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi potestatem , ut vice omnium Ecclesiæ Catholicæ prouiderent de Pastore : aut nisi communiter ab omnibus , & singulis Cardinalibus , qui itidem in Conclavi præsentes erunt , nemine pariter dissentiente , quasi per inspirationem , nullo precedente de persona speciali tractatu , per verbum ELIGO , intelligibili voce prolatum , aut scripto , si voce fieri non potuerit , expressum , fuerit celebrata . Numerum autem Suff agiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præsentium , ut electio per viam Scrutinij , siue Scrutinij & accessus valida sit , decernimus , & declaramus ita esse censendum , vt in duabus tertijs partibus Suffragium electi non numeretur , nec quisquam siue Scrutinij , siue Scrutinij & accessus , siue compromissi via procedatur , se ipsum eligere , seu suffragium sibi dare viliatus poscit : Electi tamen per longa , si in Conclavi sit , debeat in numerum Cardinalium computari . Rursus nemo per viam Scrutinij , seu Scrutinij & accessus habeatur pro electo , nisi publicatis omnibus suffragijs , & electi , si numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit , etiam schedulis apertis . Ac si contingat plures in schedulis nominatos duas tertias partes suffragiorum tulisse , in suffragiorum paritate neuter sit electus , in imparitate vero , qui numero suffragiorum superior erit , dummodo duas tertias partes , etiam in uno suffragio excedat , electus censeatur . Insuper in uno quoq; Scrutinio antequam Schedula in calicem mittatur , à quolibet Cardinale iuramentum alta , & intelligibili voce fiat his verbis . TESTOR CHRISTVM DOMINVM , QVI ME IV DICATVRVS EST , ME ELIGERE QVEM SECUNDVM DEVUM IVDICO ELIGI DEBERE , ET QVOD IDEM IN ACCESSV PRAESTAB . Ethoc iuramentum à nullo omittatur . Suffragiorum autem Schedula huiusmodi tam Scrutinij , quam accessus , vbi fieri potuerit , impressæ omnino esse debeant , vbi non potuerit , vnius tantum manu scriptæ sint ; ita videlicet , vt tam impressæ , quam ita scriptæ , ea omnia , quæ in Schedulis huiusmodi exprimi solent , continent , prætersola nomina , seu denominaciones eligentis , & electi , & infra scripta signa , quæ omnia manu eiusdem eligentis scribantur : & nomen quidem eligentis in prima parte Schedulae , electi vero in sequenti ; & rursus electi , quantum fieri poterit charactere alterato , ita ut cognosci non possit : eaq; Schedula pars in qua erit eligentis nomen claudatur , ac sigillo ad hoc parato , ac secrete habito , non autem eo quo quisque vti solet , obsignetur . Ut autem videri possit , ne qui alicui accessit , eidei in Scrutinio suffragium dederit , Schedula omnes duobus alijs signis in ultima parte signentur , numero nempe aliquo , & breui dicto sacræ Scripturæ , vel alio huiusmodi ; quæ signa in veraq; Schedula tam Scrutinij , quam accessus eadem sint . Postea vero pars illa Schedulae , vbi hæc signa erunt , etiam complicetur , & obsignetur ne à Scrutatoribus videri possit , nisi postquam fuerit per Scrutinium , & accessum electio perfecta ; quo casu Schedula accessus à Scrutatoribus ea in parte , vbi duo prædicta sunt signa , aperiantur , ijsq; inspectis , &

earum

eam signis. Schedula cum ijsdem signis notata, & in Scrutinio data repertiorum
 ut videatur an duo haec signa, & sigillum eadem sint cognoscatur, & inde duo suffragia
 ab eodem Cardinali viii data non fuisse appareat. At si inter Schedulas Scrutiniij nulla repe-
 rietur ijsdem signis notata, quibus schedula accessus signata erit, aut si quis eidem acce-
 serit, quem in Scrutinio nominaverit, vtroq; casu suffragium accessus nullum sit. Sub-
 scriptio autem, seu nomen eligentis resignari non possit, nisi contingat, vt sigillum, & alia
 duo predicta signa sint eadem cum signis, & sigillo alicuius alterius Cardinalis, aut alia
 difficultate cogente. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo à Cardinali-
 bus scribat, quomodo in folio impresso, vbi in Conclavi notari suffragia solent. Præte-
 rea, vt secreto cautius consulatur, Schedulae suffragiorum conficiantur, vna seu pluribus
 in mensis, in media Capella constitutis, ita à Cardinalibus remotis, & circumscriptis, vt quid
 scribatur ab aliis videri non possit. Si quis verò ad mensam accedere, impeditus valetu-
 dine non poterit, is suffragium suum in loco suo secrètè conficeret debeat, & ad illud ac-
 cipendum ultimus Scrutatorum accedat. Et vt accessus secrètè etiam peragatur, Scruti-
 nio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, sta-
 tim antequam ad alias actus deueniatur, Cardinales Schedulam pro accessu formatam
 predictam in mensis conficiere, sicut in Scrutinio teneantur. Porro vñas Schedularum,
 pro accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in Scrutinio voluerit, eius nomen
 scribet, qui verò noluerit, ne cognosci possit eum nulli accedere, in loco, nemini scribat.
 N E M I N I. Nulli autem tam in Schedula Scrutiniij, quam accessus plures nominare li-
 ceat, alioquin suffragium in quo plures fuerint nominati, nullum sit; accedere tamen vni-
 ex nominatis à se in dicta Schedula, vel alij, dummodo aliquod aliud suffragium in eo-
 dem Scrutinio tulerit, non prohibetur, & in numerum Cardinalium in Conclavi præ-
 sentium numeretur. Neq; in quolibet Scrutinio, nisi semel accedere liceat, neq; per acces-
 sum ab alterius nominatione, in Scrutiniij Schedula facta, recedi decernimus, & declara-
 mus. Insuper antequam Schedula, sive Scrutinij, sive accessus à Scrutatoribus aperian-
 tur, omnes ab ijs diligenter palam numerentur: & si plures reperta fuerint, quam
 sint Cardinales, in Conclavi præsentes omnes cōburantur, & iterum ad suffragia statim
 deueniatur. Si quis autem aliquid ex supra expressis non seruauerit, aut quomodo unq;
 directè, vel indirectè in aliquo contrauenerit, sententiam excommunicationis ipso facto
 incurrat. Præterea statuimus, & ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediuerit ad
 Scrutinum venire, ad eum adire debeant tres Cardinales, forte ante Scrutinium, vt infra
 ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconorum extracti, cum capsula
 perforata, sed manu, & palam à Scrutatoribus clausa, cuius clavis super altare remaneat,
 & Schedulam impressam illi deferre, ipseq; illam, sicut alij Cardinales, prævio iuramento
 suprascripto, secrètè conficerent tenaciter, deinde in capsulam coniiciant, eaq; per eosdem
 Cardinales relata, & aperta, in calicem Schedula mittatur. Publicato deinde Scrutinio,
 si accessus agendus erit, vt etiam infirmi accedere possint, vnum ex folijs in quibus nomina
 Cardinalium, & suffragiorum numerus notantur, à tribus Cardinalibus prædictis summa-
 tur, & palam recognito numero suffragiorum, quæ quisq; in Scrutinio tulerit, ad infirmum
 vna cum alia impressa Schedula, pro accessu patata, & cum eadem capsula ab ijs defera-
 tur. Infirmus verò alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaq; & singula seruen-
 tur, quæ de Scrutiniij Schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latæ
 sententiæ poena. At si quis scribere valetudine impediatur, per alium prævio iuramento
 ab eo qui scriberet praestando, de seruando secreto, quod sub eadem excommunicationis
 poena seruari mandamus, scribere liberè posse. Ad hęc Scrutatores tres, sicut & tres alij
 Cardinales, quaj ad infirmorum suffragia deferenda proficiscuntur, ex omnibus Cardinali-
 bus præsentibus in Conclavi, nulla ordinis seruata distinctione, forte, immediate ante
 quolibet Scrutinum per ultimum Diaconorum extrahantur, & qui semel extracti fue-


nint, in vas iterum coniiciantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si Scrutatores, vel
recognitores, aliquid secreti in exercendo suo officio cognouerint, & illud revelaverint,
eandem latæ sententiae excommunicationem incurrant. Finito Scrutinio, & accessu, siue
electio sequuta sit, siue non sit, tres alij Cardinales, forte pariter, vt supra, extrahendi,
Schedulas omnes recognoscere debeant, sigillo tamen, & duobus alijs signis, si aperta non
fuerint, intactis remanetibus. Quæ omnes & singulae Schedulae, siue sequuta, siue non sequua
electione, postmodum statim palam comburatur. Similiter ne electio protrahatur statui
mus, & ordinamus, vt sub simili excommunicationis pena, eo ipso incurrienda, Scrutinium
bis singulis diebus peragatur, ita vt etiam perficiatur, mane scilicet post solitam missam,
& prima quidem die tantum post Cardinalium sacram peractam communionem, m & po
meridianio tempore hora opportuna, post Hymnum Veni Creator Spiritus, & orationem
de Spiritu Sancto: idemque si compromissi via eligatur, obseruari debeat: atq; ad Scrutinium
cum tertium pulsata per loca solita Conclavis campanula de more fuerit, omnes, & singuli
Cardinales conuenire debeant, valetudine non impediti, sub eadem excommunica
tionis latæ sententiae poena. Cardinales præterea omnino abstineant ab omnibus pactio
nibus, conuentionibus, promissionibus, intendimentis, condicis, foederibus, aliaq; qui
buscunq; obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum, seu Schedularum, aut
alijs tam verbo, quam scripto, aut quomodocunq; dandis, aut petendis, tam fœtus in
clusionis, quam exclusionis, tam viuis personæ, quam plurium, aut certi generis, velut
creaturarum, aut huiusmodi, seu de suffragio dando, vel non dando, quæ omnia, & singu
la, si de facto interuererint, etiam iuramento adieco, nulla, & irrita, neq; ad eorum ob
seruantiam quæquam teneri, aut ex transgressione notam incurriere fidei non seruatæ de
cernimus, & declaramus; & contrafacentes ex nunc excōmunicationis pena innoda
mus: tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus. Quod si electio
huiusmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclavi clauso, vel alter, quam per secreta
Schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium, in Conclavi præsentium
in Scrutinio, seu Scrutinio & accessu, electi suffragio non compurato, vel per viam com
promissi, ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi præsentibus, nemine dissentiente
initi, & ita vt nemo scipsum elegerit: vel quasi per inspirationem nullo præcedente de per
sona speciali, tractatu, omnium pariter Cardinalium, præsentium in Conclavi, communi
ter, nemine itidem dissentiente, per verbū, ELIGO, intelligibili voce prolatum, aut scripto,
si voce non potuerit, expreßum, nulla sit, & inualida eo ipso, absq; vlla declaracione, &
ita electo nullum jus tribuat: quinimmo is non Apostolicus, sed Apostolatus sit, & habe
atur, & tam ipse, quam eligentes, eiusq; fautores, & complices lalentiam excommunica
tionis, & anathema, aliaq; censuras, & poenas inualoribus Sedis Apostolice à Sacris
Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis impositas, pariter ipso facto incurrant, à
qua, sicut ab alia quacunq; in hac Constitutione imposta, & irrogata, seu infra impo
nenda, & irroganda poena excōmunicationis tam ipsi, quā quilibet aliis, siue S. R. E. Card
siue alia persona cuiuscunq; gradus, conditionis, dignitaris, & præminentia, à nullo, neq;
etiam à maiori Penitentiario, cuiuscunq; facultatis vigore, præterquam à Rom. Pont.
nisi in mortis articulo absolui possit, & tam ipse eiusq; complices, & fautores, quam alijs
quicunq; etiam S. R. E. Cardinales huius Constitutionis in aliquo transgrediores alii
grauiſſimis poenis teneantur, futuri Pontificis canonice intrantis arbitrio irrogandis. Pe
tremus statuimus, & districte præcipiendo mandamus, vt S. R. E. Cardinales, quæcunq;
secreterum violare quoinodolibet poterunt, omnia euitare, & cauere omnino teneantur, cum
intentio, & mens nostra sit electionis huiusmodi tam sanctu negociu, si fiat per Scrutiniū, seu
Scrutiniū & accessum, vt præfetur, secrētissimè transfigatur: ac proinde, iisdem omnibus, &
singulis S. R. E. Card. & eorum Sacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum
aliquod statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo coniugere, alterare, mutare, seu ali.

quo

quo modo facere tractare, moliri, vel attentare presumant quis praetextu, causa, vel
 exequitio, colgre sub eadem excommunicationis poena ipso factò incurriendo.
 Ut autem huiusmodi nostra Constitutio inuiolabilius obseruetur, tres Cardinales, qui singulis diebus Congregationibus agendis præpositi sunt, & cum ijs S. R. E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia obseruari procurent, & faciant: Volumus etiam, & decer-
 nimus, censurarum, & excommunicationum prædictarum, & aliarum quatuorcumque praetextu, vel causa Cardinales à Summi Pont. electione actiuæ, & passiuæ excludi nullo modo posse, quas quidem censuras, & excommunications ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus: decertentes easdem excommunications, & censuræ eos solum afficere qui deliquerint, non autem alios Conclavi durante, qui cum ijs conuersati fuerint. Coeterum, & si opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officij nostri debito, & rei de qua agitur grauitate, admonemus, hortamur, & in Domino obsecramus S. R. E. Cardinales, ut attente considerent persona quam sustinent, officium, & dignitatem, quam Sacrum præterea, & quanti momenti sit opus, quod tractant, & nihil quod se non deceat, nihil à re alienum committant, sed cogitent, quam pernicioſum futurum sit vniuersæ Ecclesiæ Christi sanguine acquisiri, si male ad-
 ministretur, ac proinde exuant omnes mundanas curas, & induant solum Dominum Nostrum IESVM Christū: memores nihil prodefesse homini si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur. Deniq; animum aduertant se in Conclavi clausos editissima in specula constitutos esse, & factos spectaculum Deo, & hominibus à Domino, cuius negotiū gerunt, supplicij, vel gloriæ sempiternæ retributionem citissime laturos. Non obstan. quatenus opus sit fel. rec. Alexandri Papæ II. præd. nostri in Concilio Lateranen. edita, quæ incipit, licet de vita, & aliorū Rom. Pont. præd. nostrorum, etiam in Conciliis generalibus promulgatis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore Iuris clausis, quibus omnibus, & singulis quatenus pariter opus sit, eorum omnium, & singulorum tenores, perinde, ac si ad verbum exprimarentur, pro expressis, & insertis habentes, pro hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus quoq; præsentes nostras coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis fieri solita, & deinde post Conclavis ingressum, & cum quis ad Cardinatatus honorem promotus fuerit, cum alijs similibus Constitutionibus legi, & instrumentum super illius obseruatione præstari, & ita præcipimus, & mandamus. Quibus Constitutionibus, & prejus in eis contentis, nisi in superioris expressis per hanc nostram derogare non intendimus, sed eas in sui roboris firmitate relinquere. Sperantes etiam Rom. Pont. qui pro tempore canonice eligentur, omni studio curaturos, vt quæ nostris huiusmodi, & in eis salubriter statuta sunt, inuiolabiliter, ac etiam si opus fuerit per poenitentiū ipsorum contra transgressores executionem obseruentur. Deniq; volumus easdem præsentes in Valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicæ, nec non in Acie Campi Floræ per Cursores nostros affigi, & publicari, ac eorum exempla ibidem affixa dimitti, & deinde omnes, & singulos Cardinales tam absentes, quam præsentes, modernos, & qui pro tempore erunt, & alios quoscunq; quorum interest, vel interesset poterit quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullamq; harum ignorantiam prætendere posse, ac si eis personaliter intimata forent, præmissis ceterisq; contrarijs quibuscumque non obstantibus. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrorum Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Innovationis, Voluntatis, Admonitionis, Hortationis, Obsecrationis, Inhibitionis, Derogationis, Precepti, & Suspensionis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare presumperit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum

Anno Incarnationis Dominice millesimo sexcentesimo vigesimo primo, decimo septimo Kalen. Decembbris Pontificatus Nostri Anno primo.

☩ Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



- ☩ Antonius Card. Saulius Episc. Ostien, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Franciscus Maria Cardinalis à Monte, Episcopus Portueñ promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Franciscus Cardinalis Sforzia, Episcopus Tusculanus, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ A. Cardinalis Montaltus, Episcopus Albanen, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Odoardus Cardinalis Farnesijs, Episcopus Sabineñ, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Octavius Cardinalis Bandinus, Episcopus Prænestinus, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Andreas Cardinalis Perettus, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ B. Cardinalis Bevilacqua, promitto, voueo, & iuro.
- ☩ F. tit. S. Praxedis, presb. Card. de Sourdis promitto, voueo, & iuro.
- ☩ Ego Io. Baptista tit. SS. Marcellini, & Petri, Card. Detus, promitto, voueo, & iuro.

- * Ego Dominicus S S. Apostolorum, Presb. Card. Gymnasius,
promitto, voueo, & iuro.
- * Ego Carolus tit. S. Cæsarei presb. Card. Madrutius, promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego S. tit. S. Chrysogoni presb. Card. Burghesius, promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego M. tit. S. Onuphrij presb. Card. Barberinus promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego Io. Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. Millinus,
promitto, voueo, & iuro.
- * Ego M. tit. SS. Quirici, & Iulitæ presb. Card. Lantes, promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego M. Angelus Tontus tit. S Petri ad Vincula, presb. Cardinalis
Nazarenus, promitto, voueo, & iuro.
- * Ego F. tt. S. Augustini presb. Card. Verallus, promitto, voueo,
& iuro.
- * Ego Io. Bapt. tt. S. Ceciliæ presb. Card. Lenius, promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego Dominicus tit. S. Martini in Montibus, presb. Card. Riuarola,
promitto, voueo, & iuro.
- * Ego P. tit. S. Mariæ de Populo, presb. Cardinalis Philonardus,
promitto, voueo, & iuro.
- * Ego P. Paulus tt. SS. Nerei, & Achillei, presb. Card. Crescentius,
promitto, voueo, & iuro.
- * Ego Gaspar tit. S. Crucis in Ierusalem presb. Card. Borgia, promit-
to, voueo, & iuro.
- * Ego Robertus tit. S. Alexij, presb. Card. Vbaldinus, promitto,
voueo, & iuro.
- * Ego Tiberius tt. S. Priscæ, presb. Card. Mutus, promitto, voueo,
& iuro.
- * Ego Gabriel tt. S. Pancratij, presb. Card. de Trejo, promitto,
voueo, & iuro.

- † Ego Petrus tit. S. Thomæ in Parione , presb. Card. Camporeus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Matthæus tit. S. Marci , presb. Card. Priolus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Scipio presb. Cardinallis S. Susannæ, S. R. E. Bibliothecarius, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Guido tit. S. Ioannis ante portam Latinam, presb. Card. Bentiuolus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Petrus tit. S. Salvatoris in Lauro , presb. Card. Valerius, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego It. Fridericus presb. Card. de Zolleren, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Cesar tit. S. Petri in Monte Aureo, presb. Card. Gherardus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Fr. Desiderius tit. S. Clementis, presb. Card. de Cremona, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Stephanus tit. S. Mariæ in Via , presb. Card. Pignatellus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego L. Card. Ludouisius, tit. S. Mariæ de Traspontina S. R. E. Cam. promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Franciscus tit. S. Matthei in Merulana, presb. Card. Sacratus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego M. Ant. tit. S. Eusebij, presb. Card. Gozadinus, promitto, voueo, & iuro .
- † Ego Alexander S. Mariæ in via lata, Diaconus Cardinalis Esteñ, promitto, voueo, & iuro .

♦ Ego Franciscus S. Angeli in foro piscium, Diaconus Cardinalis
 Boncompagnus, promitto, voweo. & iuro.
 * Ego Hippolytus S. Mariæ Nouæ, Diaconus Card. Aldobrandinus,
 promitto, voweo. & iuro.

†

Io. Beninus.

N. Odot.

Registrata in Secretaria Breuim.

Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vige-
 simo primo, Indictione quarta, die vero vigesima sexta mensis No-
 uembri, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & Domini Nostri
 D. Gregorij divina prouidentia Papa XV. Pontificatus sui pri-
 mo. Introscripta littera Apostolica publicata & affixa fuerunt ad
 valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum
 de Urbe, ac Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Flora, dimis-
 sis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod tem-
 poris spatium, & exinde amotis deinde dimisis earumdem litterarum
 copijs affixis, ut moris est, per nos Augustinum Bracherium, &
 Brandimartem Latinum pralibati S. D. N. Papa Curforis.
 Octavianus Spada Magister Curforum.

